

aliquando contradicatur, sed per hoc nostrum Preceptum firmiter valeatis posside-
re. Datum Luponis Mense Ianuarii Indictione VIII. sub Rimone Fastaldio.
Quod vero Preceptum Ego Arichisius Notarius ex dicto Rimonis Fastaldii scripsi.
XII.

IN Nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Tempo-
ris Domni Luponis gloriosi, et summi Ducis Pentis Langobardorum, Anno ejus
in Dei nomine primo, sed et viri magnifici Godefridi Fastaldii civitatis Reatine Men-
se Novembris Indictione III. Quisquis sana mente facinorum, ac delictorum per-
tractans profunda, et eterni regni beatitudinem desiderat, metum gehenne, et in-
cendia ignis exspauescens, oportet eum sue salutis tractare remedium, quatinus in
hac vita feliciter uiuere debeat, et in eterna vita cum Christo regnare valeat. Qua
de re Ego Adualdus, et Audolfus considerantes humane fragilitatis, et seculi huius
excessum, quia omnes, qui in hoc Mundo sumus, Morti iugiter subiaccemus, iuxta
testimonium Prophete, ubi dicit: Quis est homo qui uiuit, et non uidebit Mortem? Ideo=
que pro remedio anime nostre tradidisse, atque tradedimus, et in eterna traditio-
ne concedimus Casales duos, idest Asilianum, qui fuit Casalis Audolfi, et Casalis, qui
dicitur Fiola, qui fuit Adualdi. Unde pro istis duobus Casalibus, quos tradidimus
in predicto ^{Mon}sancte **Mariae** resusccepimus Ego Adualdus, et Audolfus a te Gode-
frido Fastaldio Casales duos uti inuenire in republica potuerimus. Ita ergo, ut ab
hac die firma, et stabilis sit nostra traditio in ipso sancto Coenobio. Et neque a no-
bis, neque a nullo heredum, Posterorumque nostrorum aliquando causa ista uex-
tur. Et qui hoc presumpserit facere, in primis in iram Dei incurrat, et Anathe-
mati subiaceat a CCCXVIII. Patribus, insuper poenam exsoluat Auri libras duas,
et Cartula ista in sua permaneat stabilitate. Unde pro perpetua firmitate ip-
sius sancti Monasterii hanc Cartulam traditionis Iudiceo Notario tradedimus
scribendam, et testibus a Nobis rogatis optulimus, qui sup(er) signum sancte Crucis
fecerunt. Actum in Reate mense, et indictione suprascripta, feliciter. Signum
I. manus Adualdi concambiatoris. Signum. †. manus Audolfi concambiatoris. Et pro
ipsis casalibus duobus, quos recipere habent Adualdus, et Audolfus dedit Quadriam
predictus Godefridus Fastaldius coram omnibus Circumstantibus, ut ipsos duos Casa-
les sine intermissione redderet. Unde exiit Fidei iussor Pando Marepasus, et Lu-
canus, et Adualdus Actionarius. Signum. †. manus Luponis Sculdhoris testis. Si-
gnum. †. manus Anselmini Vestararii. Signum. †. manus Pandonis Marepadi
testis. Signum. †. manus Lucani testis. Signum. †. manus Ansifridani Medici tes-
tis. Signum. †. manus Adualdi Actionarii. Signum. †. manus Aldonis Couitoris
testis.

